



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

5. Quinam libri censeantur ex professo tractare de religione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

nicationis prohibentur; nec refert quod reliqua materia, & quæ per se intenditur, sit profana: non enim requiritur quod ex professo de hæresi tractent, (sicut hoc dicitur de religione) sed satis est quod habeant Auctorem hæreticum, & hæresim contineant. Imo hoc aliquando est periculosius, si reliqua materia sit docta & utilis, aut saltem placens lectoribus; sic enim etiam facilius placent reliqua quæ simul inferuntur, & sic mordet sicut coluber in occulto; & quantò latentius, tantò periculosius venenum imbibitur. Sic etiam tenent Suarez de cens. disp. 21. sect. 2. n. 10. Sanchez lib 2. c. 10. n. 34. Layman lib 2. cap 15. tract. 1. n. 4. & alii. Contra Sayrum.

ARTICULUS V.

Quinam Libri censeantur ex professo tractare de Religione.

Quia Bulla Coenæ exprimit etiam Libros, ex professo scriptos de Religione, necesse est explicare quid ad hoc requiratur.

Tractare de Religione est agere de doctrinâ Sacrà, exponendo S. Scripturam, aut Scholasticam Theologiam aut Moralem, hoc est agere de rebus & mysteriis fidei, de cultu Dei

&

& Sanctorum, de recta morum institutione, sive de iis quæ ad salutem animarum pertinent; aut de illis quæ sunt his contraria. Sic passim tenent Doctores; Sanchez ubi supra, etiam adjungit tractatum de Clericis & Monachis, quia contra ipsos scribi solet ab hæreticis in odium fidei seu Ecclesiæ. Adde etiam libros agentes de ritibus Ecclesiæ, & de interpretatione Epistolarum Pontificiarum. Et Juris Canonici, non tamen Juris civilis, licet illam materiam etiam annumeret Hurtado; non video tamen quo fundamento.

Non sufficit autem quod de religione, modo jam dicto, tractavit; sed requiritur quod hoc fiat *ex professo*. Quod tamen non ita intelligitur, quasi totus liber de religione agat, sufficit enim quod sic tractet in aliqua sui parte notabili, allatis fundamentis, auctoritatibus & similibus; ut moraliter judicari possit, quod non obiter tantum, sed ex professo de religione agatur.

Et hæc est differentia inter libros continentes hæresim, quod sufficiat, licet hoc tantum obiter fiat, uti supra dictum fuit. Et tractantes de Religione, ubi non sufficit quod tantum obiter fiat, sed ex professo.